





T. 498

INSTITUTIONE
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE
ALMA MATERIS UNIVERSITATIS
HALLENSIS

INSTITUTIONE
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE
ALMA MATERIS UNIVERSITATIS
HALLENSIS

INSTITUTIONE
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE
ALMA MATERIS UNIVERSITATIS
HALLENSIS

INSTITUTIONE
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE
ALMA MATERIS UNIVERSITATIS
HALLENSIS



Q.N. 528,40

B. M. II, 498

A T A M M H A

COMMENTATIO
DE
VSV MULTIPlici CONCIONVM ET MO-
NVMENTORVM FVNEBRIVM

INVITATIONI DECENTI
AD PANEGYRIN SOLLEMNEM
FINITA GYMNASII LVSTRATIONE
ET POST NATALEM AVSPICATISSIMVM
SERENISSIMAE MATRIS PATRIAE
LVDOVICAE DOROTHEAE
DVCIS SAXONIAE
DOMINAE NOSTRAE CLEMENTISSIMAE
IN ILL. GYMNASIO GOTHANO

Gymnast. Friderici III.

D. XII. AVGVSTI HORA VIII. MATVI.
A. MDCCCLVI.
CELEBRANDAM
ET
ORATIONES TRIVM IVVENVM EXIMIORVM
BENIGNE AVDIENDAS
PRAEMISSA
A
I O. HENR. STVSS
GYMN. RECT. ET ACAD. REGIAE SCIENTIAR.
PRVSSICAE COLLEGA.

GOTHAE LITTERIS REYHERIANIS.



A H M M A T A.

- I. *Legitimus in primitiua ecclesia, illegitimus in papatu, emendatus in ecclesia euangelica defunctorum honos.* II. *Vsus concionum funebrium in pia, eaque necessaria meditatione mortis.* III. *In varia eruditione theologica.* IV. *In vitarum et aliorum memorabilium cognitione.* V. *Earum insignis adparatus a beata VIDVA HVLSEMANNIA congestus, beneficio PERILLVSTRIS COLLEGII STATVVM PROVINCIALIVM Gymnasio donatus.* VI. *In vsus publicos quomodo conuertendus.* VII. *Maiores honore defunctis habendo imitandi.* VIII. *Laudabilis eorum consuetudo in epicediis nominatim scribendis.* VIII. *Imitatio ad audiendas orationes.*



I. sanctissima religio nostra non solum omnia humanitatis officia eam proflentibus commendat ac praecipit, verum etiam ad eandem exsequenda longe acriores ac diuiniore, quam omnis humana philosophia, stimulos admoet: ita saepe eadem in pie defunctos, quibus vel sanguinis, vel alio quodam arctioris societatis vinculo iuncti fuimus, cum sepeliendi ritu christianos deceat, tum conservanda omni meliori modo eorum memoria, gratiae piaeque mentis testandae studium mirifice inculcat, accendit, inflammat. Hinc illud ipsum in prisca illa sanctiori ecclesia, vti antiquitatum sacrarum scriptores nube testium (a) confirmant, summopere viguit, perque nomina diptychis et necrologiis inscripta, inque ipsis sacris publicis recitata, per munera eorum nomine, qui in communionem ecclesiae (cuius stilo hec vtendum censeo) decesserant, altaribus oblata, per monumenta sepulchralia, et quae sunt huiusmodi, sollicitè fuit declaratum. Neque vero idem deseruit sequioribus temporibus, sed, luce religionis puriori sensim exstincta, in caecis illis tenebris magis magisque exarsit, et maximam partem in ignes factuos abiit, cum sanctorum caelitem inuocatio, reliquorum, quae ferebantur, e corporibus venerandis ossium ac particularum cultus, missarum pro animabus e fictio illo igne purgatorio liberandis venalis, et sacro ordini quaestiuosa, demurmuratio, aquae lustralis adpersio, et aliae foedae superstitiones inualecerent. Restitutus autem est vna cum luce euangelii diuinitus restituta,

(a) Ex his non nisi BINGHAMI Originum sacras Vol. X. cap. III. et IOACH. HILDEBRANDI tractatum peculiarem, cui tit. *Primitiuae ecclesiae offertorium pro defunctis, cap. I. et IX. et seqq. h. l. excipisse sufficiat.*

ta, abiectis illis reuera impiis nugis, legitimus pietatis in defunctos demonstrandae modus, introductis, quibus publicae exsequiae cohonestarentur, et ipsa religio prouheretur, concionibus funebribus, et orationibus parentali- bus: quarum typis exscriptarum iam inde a felici illa emendatione fidei et disciplinae christianae, a Luthero *Θηλάτω* eiusque sociis coepta et perfecta, infinitus in ecclesia euangelica exstat numerus, diffusae atque diffundendae per omnes ordines pietatis argumentum aeque ac incitamentum. Quidni igitur inter *κειμήλια* referantur (et referuntur sane ab intelligentibus) illi ipsi a primis euangelii praecconibus in terris hac luce beatis habiti, et artis typographicae beneficio nobis seruati, pia sua et graui simplicitate momentosi sermo- nes sacri, in funeribus magnorum principum, ecclesiae doctorum, aliorumque beata morte exstinctorum, habiti? Quidni digna existimetur, quam bibliothecae publicae et priuatae varios in vsus seruent, huiusmodi concionum, aliorum- que monumentorum funebrium, inde ab emendatis sacris ad nostra vsque tempora in Germania euangelica publicatorum, quousque fieri potuit, pro- gressa collectio?

II. Vfus vero huiusmodi bibliothecae, quam *Θανατοθεολογικὴν*, vel et *ἐχθασθεολογικὴν*, item *βιογραφικὴν* recte dixeris, quales quantique sint, strictim hoc loco vt indicetur, instituti ratio postulat. Primo nempe expli- cationes et adplicationes praeclarae tot insignium Scripturae sacrae locorum, ad confirmandam fidem, ad alendam & roborandam vitae melioris spem, ad in- stillandam patientiam, et suggerendas consolationes efficacissimas in variis ad- flictionibus, ad eleuationem mentium ad caelestia, verbo: ad *τὸ θεῖον* sacra- tissimae atque augustissimae religionis nostrae, in illo omnibus impendente ex hac vita discessu, in vtramque partem, lactiorem nempe apud genuinos cultores, tristiorem apud perditos contemptores, maxime eminentes, probe noscen- dum et animo imbibendum, nec non ad officia, quae eadem iniungit, eo alacrius peragenda, modo attente legantur, non possunt non magna vi pol- lere. Adhaec, testor conscientiam cuiuslibet haud inexperti, et quaero *μετὰ παρησίας*, num absque pia animi, similem sibi exitum optantis, commotione legi queant illi moribundorum, etiam summorum principum, et valde eminenti in dignitate constitutorum virorum, vel et seminarum, extremi sermo- nes, cum iam abiecta omni huius vitae pompa primaevae suae nuditati redditi, tamquam miserabiles, et veniae et gratiae indigentes peccatores et peccatrices coram diuino tribunali sistuntur, cum iam in illo fatiscantis corporis naufragio sacra fidei victricis anchora quam maxime opus est; cum iam denique vis et efficacia diuinorum oraculorum perquam viuido sensu mentis, interdum anxie luctantis, non numquam vero etiam absque lucta in praegustu vitae beatissi- mae exultantis, percipitur? Quae cum ita sint, equidem non video, quid ad hoc ipsum, vt recte et mature instituat necesse sit ad beatam ex hac vita

ἀνάγνωσις praeparatio, efficacius, quid in vniuersum ad sanandam aegram mentem vtilius, quid salutaris huiusmodi lectione esse possit.

III. Tum vero quis neget eruditiores etiam ex enarratione textuum, vti vocant, non numquam obscuriorum et difficiliorum, adcurate et luculenter explicatorum, praesertim quando et notis eruditis, et citatis insignium scriptorum locis congruis, multa belle illustrantur, fructum ingentem capere posse? (b) Huiusmodi vero explicationes cum summi et dignitate eminentes, tum etiam inferioris ordinis theologi eruditiores, quid valeant humeris, monstratum euntes (quorum etiam dotes et characteres inde perspicere incundum est) saepius in medium adferunt. Ipsa adhaec multiplex varietas meditationum, dispositionum, propositionum, expositionum, porismatum, praesertim cum vnus aliquis Script. S. locus in funere maiorum principum a compluribus eximiis theologis fuit pertractatus, (c) lectori harum rerum curioso, et ad *σὺγκρισιν* instituendam idoneo non solum delectationi, sed et vsui esse potest singulari.

IV. Praeterea tot exquisitae grandium et pietate insignium vtriusque sexus principum, tot virorum illustrium et celeberrimorum, grauissimis muneribus in aulis, academiis, templis, scholis, non numquam et in castris, egregie perfunctorum biographiae, concionibus funebribus vt plurimum adiectae, in agnoscendis diuiniae prouidentiae admirandis, capiendis inde exemplis, et eliciendis prudentiae regulis, (quae est ipsa illa tantopere commendata, et merito commendanda pragmatica historiarum lectio) tam varium, tam multiplicem habent vsuum, vt nec longa oratione, tantum abest, vt huius paginae angustis,

(b) In hunc censum, licet non omnibus adnotationes sint adiectae, maxime veniunt conciones funebres Geierianas, Mullerianas, Carpouianas, Spenerianas, Nitschianas, iunctim editas, et similes, nemini dubium erit, nisi qui numquam haec lumina vidit. Eiusdem vero conimatis etiam, hoc est, in exegeti sacra solide eruditos, et in pietate *δικαδομηλικός* esse insignium, qui Gotham illustrarunt, luminum, Glassii, Gotteri, Fergentii, Ludwigii, Huhnii *λογικὴ ἐπισημείωσις*, res ipsa testatur. Exemplum e recentioribus si quis desiderat, legat ille, si lubet, Huhnianam in funere b. Dorotheae Grelhae, coniugis prioris b. Alb. Christiani Ludwigii, proteclesiasticae aulici, et consiliiarii eccles. Fridensf. a. 1721. in verba *Gal. II. 20.* habitam concionem, qua locum non per omnia liquidum, de *unione fidelium mystica cum Christo*, praefatae sane explanatum, et no-

tis eruditis illustratum dedit. Si cui conferre placeat concionem Nitschianam, qua ex *Hof. II. 19. 20.* exponitur *das große Geheimnis der geistlichen Ehe*, reperiet eam in parte II. concionum ipsius funebrium, subtit. *Das Ausgehen der Glaubigen aus dieser Zeitlichkeit*, publicatarum p. 83.

(c) Ita, vt vnum saltem exemplum adscribam, in funere beatiss. ELISABETHAE SOPHIAE, coniugis ac deinde viduae gloriosiss. mem. Ducis ERNES TI PII, m. d. 20. Dec. 1680. totus psalmus 84. tamquam textus praescriptus (qui et in funere matris eiusdem, ELISABETHAE, natae principis Brunf. et Luneb. a. 1650. fuerat pertractatus) aliquot concionibus lectu sane dignis, Altenburgi, Coburgi, Meiningae habitis, diuersa quidem, at commoda tamen ratione fuit explicatus.

angustis, quae huc pertinent, queant explicari. Inter alia etiam familiarum generosissimarum atque illustrium enarrationes, quibus insignia etiam aeri incisa, et icones nitidae, et tabulae genealogicae, et in principum monumentis pomparum et pegmatum funebrium delineationes, et sarcophagorum ornamenta atque inscriptiones addi solent, vtilem non solum, sed et perituncundam saepe lectoribus, talia cupide lustrantibus, notitiam rerum cognitu dignissimarum suppeditant. Denique permultis huiusmodi monumentis adiecta programmata elegantia, orationes disertissimae, omnis generis carmina, inscriptiones, epitaphia, lectorem non *ἀπύστω* mirifice capiunt, instrunt, oblectant. Hinc erunt certe, immo esse noui, vti trahit sua quemque voluptas, qui, quod mihi quidem, aliquam etiam horum copiam possidenti, vsu venit, dum volumina huiusmodi, vel et sparsim exstantia scripta, voluunt atque perlustrant, in amoenissimis viridariis, infinitam florum atque fructuum varietatem exhibentibus, versari sibi videantur.

V. Iam huiusmodi viridaria magno sane apparatu sibi instruxerat Matrona praenobilissima, omnibus pietatis, humanitatis, beneficentiae, eruditionis etiam in illo sexu admirandae, ornamentis condecorata, ANNA SOPHIA IAEGERIA, beati consilii aulici Saxo-Gothani, HENR. ERNESTI HVLSEMANNI vidua, *ἡ γυνὴ ἐν ἀγίοις*. Hic ipse vero adparatus, ante mihi iam cognitus, et beneficio eiusdem humanissimae HVLSEMANNIAE ex parte vsurpatus, cum post beatam ipsius obitum a bibliopola, qui cum reliqua eximia bibliotheca eum sibi pretio comparauerat, venum exponeretur, flagraui desiderio bibliothecae Gymnasii eum acquirendi. Cum vero aceriolum nostrum huic emptioni par non esset, cepi consilium VIROS FERILLVSTRES, PRAENOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS, QVI COLLEGIVM STATVVM PROVINCIALIVM HVIVS DVCATVS CONSTITVNT, demisse rogandi, vt suo ex acerario redemptum hunc thesaurum Gymnasio munifice donare ne dedignentur. Cumque MAECENATES ILLI AC PATRONI MV SARVM PERBENIGNI petitioni huic clementer ac beneuole aduissent, aequo pretio perfoluto, CCCLXXXV. maximam partem grandium voluminum, multa valde rara et singularia complectentium, aucta est bibliotheca nostra. Hinc beneficium istud, omni laude et praedicatione dignum, grata mente cum collegis agnoscens, non possum non hac ipsa pagina, ex insigni vsu fructuque eius magnitudinem ostensum eunte, quo par est, obseruantissimo pietatis cultu publica gratiarum actione defungi, atque testatum facere, quantum tantis MAECENATIBVS et nos debeamus, et qui longa, vti speramus, ferie nos excipient, sint debitori. Indiuisa nempe hoc pacto non solum manebit, sed et augebitur bona haecce copia, si quid vota et conamina nostra, vel prece vel pretio eam augendi, valebunt. Quidni enim, quae eximia et parabilia forte desunt, liberali donatione, qui fa-

cillimus bibliothecas publicas augendi modus est, hinc inde nos speremus accepturos? praesertim cum operam nostram promptam paratamque publice offeramus, si qui vel familiae cuiusdam illustris, vel vitae memorabilis enarrationem, vel quae alia in usus suos exscribi, vel et commodari sibi vnum alterumque volumen inde cupiant. Iam facilis est coniectura, desideratum iri ab iis, quibus haec cordi sunt, indicem personarum, non quidem obscuriorum omnium, (hoc enim superuacaneum fuerit) sed tamen illustrium; et notatu maxime dignarum, quarum vitae in amplissima hac sylloge describuntur. Atque hunc quidem ut scriptum communicare possimus cum fautoribus atque amicis, qui eius sibi copiam fieri cupient, operam dabimus; neque publicationem beneficio tyopotum defugiemus, modo sine nostro sumtu fieri illa possit.

VI. Interim ipse, Deo clementer aduente, constitui, cum in hisce versari et aetati meae conveniat, et volupe mihi sit, excerpta inde dare per fasciculos paulatim publicandos sub titulo, *Blumenlese von den Gräbern*, non solum potiora e biographiis, dignis, quae lexico eruditorum biographico adiciantur, (d) verum etiam epitaphia et epigrammata elegantiora, et interpretationes locorum sacrae scripturae minime vulgares, quales iam passim observauimus, et quae sunt alia ἀξιωματώδεια, complexuros. Confido enim institutum hocce iis, quorum plurimum apud me valere debet auctoritas, probatum, neque ope bibliopolae destitutum iri.

VII. Utinam vero vestigiis maiorum insisterent nostra haec, minus certa, tempora, quibus non solum laudabilis ille veterum mos exsequiis sollempnioribus et concionibus funebribus honorem defunctis habendi, in defuetudinem venit; verum etiam viri optime de ecclesia aut republica meriti ne carmine quidem, aut alio exili monumento, typis exscripto, quo memoriae ipsorum litetur, digni censentur, atque adeo ipsum hoc pietatis genus sordere et exolescere incipit: quasi prisca illa, et, peruersio multorum iudicio, inepte religiosa simplicitas longe acutius atque elegantius hoc saeculum minime deceret; quasi

(d) Minime superuacuum fore hunc laborem vel hocce ostendat exemplum. Lexico erudit biographico, etiam editionis recentissimae amplissimaeque, nemo ceterum inficis edocebitur, quis fuerit Georgius ille Hessler, de quo sequentia saltem memorantur: Hesse (George) hat 1677. Andr. Wilkii Suadam Gothanam cum eiusdem vita, und 1676. eiusdem Epitaphias partes 2. zu Leipzig ediret. Si saltem inspexisset qui haec scripsit Ludouicianam Historiam Gymnasiorum Rectorumque celebriorum, in cuius parte I. primo loco ponitur Gothanum, pag. 22. re-

perisset sequentia. Georgius Hessler, Gothanus, ex 36. annorum Contractore fit Rector d. 12. Jun. 1673. et moritur 1694. d. 28. Aug. Longe plura suppeditare poterat Historia Gothana, Sagittario. Tentzeliana P. I. pag. 113. seqq. Haec vero ipsa etiam e vitae circulo concioni funebri adiecto, quod ipse beatus vir consignauit, suppleri poterunt. Infero haec observationem, quod peculiarem gratiam habeant biographiae, quibus suam ipsorum vitam enarrarunt auctores, qualis etiam est Reyheriana, concioni funebri addita.

211110

2 X

quasi posteritatis memoria fusque deque habenda, atque id tantum agendum esset, ut nobis in praesens bene sit. Utinam vos, qui me auditis, humanitatis et bonarum artium cultores, vos enim haec iure praeceptoris compello, neglectum huiusmodi officii pietatis, quando data occasione praestandum est, religioni vobis ducatis. Meminisse certe debetis, Musas esse Mnemosynes filias, nec filendos esse, quibus silentio vita transacta non est. Nostis, quotquot in antiquitate profana non plane hospites estis, quotquot aliquando vasta illa inscriptionum, magnam partem sepulchralium, corpora, Gruteriana, Reinnesiana, Fabrettiana, Muratoriana, Maffeiiana, inspexistis, quantum fuerit praeforum illorum hominum per lapides et marmora, quorum etiam fragmenta operose sunt collecta, memoriam suorum conservandi studium. Nostis Horatianum illud: *Dignum laude virum Musa vetat mori*. Nostis cum aliorum, tum maxime Ciceronianas de minime contemnenda posteritatis memoria sententias. Habetis, quod caput est, imitatione imprimis dignissima progenitorum vestrorum, atque aliorum aequae piorum exempla. Quaeso enim vos, num tanta exsaret copia monumentorum huiusmodi perennium, qualia nobis obtigerunt, quaeque passim locorum ab innumeris legi et relegi possunt, cum illa vno loco fixa a paucissimis legantur, et non numquam tristibus incendiis, aut alia temporum iniuria destruantur; si boni illi, quibus ea debentur, pios, memores, gratos eo pacto in parentes, coniuges, fratres, propinquos, praeceptores, fautores, amicos, vita functos se praestare essent designati, si memoriam ipsorum cum ipsis sepeliendam censuissent?

VIII. Neque vero copia tantum admirabili antiquiora illa, in honorem defunctorum, et solatium et exhortationem viventium, evulgata monumenta nostrorum temporum inopiam, verum etiam alia ratione perpaucata ista, quae hodie in lucem eduntur, vincunt, ea nempe, quod sigillatim quondam et nominatim perillustres etiam magnorum principum ministri, ecclesiarum antistites, et alii perquam spectabiles viri epicedia scripserunt; unde, iucundo sane spectaculo videre est, quinam in illustribus collegiis, in civilibus, ecclesiasticis, scholasticis muneribus eo tempore floruerint. Hunc morem in omnibus superioribus, et adhuc in obitu beati Superintendentis gen. ADAMI TRIBBECHOVII a. MDCLXXXVIII. nec non in obitu Protosynedrii Fridensteinensis Praefidis, MAGNI SAEVI, a. MDCLXXXVIII. fuisse observatum, curiosa huiusmodi monumentorum inspectio quicunque docebit (e)

VIII.

(e) Hic etiam faciunt sequentia. In obitu Ge. Thilonis, Pastoris in Hausen, m. 1671. omnes ad ephoriam Goldbacensem pertinentes Pastores, cum nouo Adiuncto, Wolfg. Henr. Mahnio num. XIII. carmina concioni funebri subiunxerunt. In his est

Hebraicum Andr. Wanderslebii, Pastoris Brühemensis, et Graecum elegans Io. Mich. Jacobi, Pastoris in Teutleben, Memoriam Dan. Seileri, Superintendentis Ichtershufani a. 1678. act. 80. defuncti, omnes huius dioeceseos Pastores, cum nouo Superintendenten-

te,

VIII. Sed abrumpenda iam tela, deinceps *ὅν Θεῶν* continuanda, et exemplis illustranda; atque, cum deuotissimae congratulationis officium, natali auspiciatissimo, SERENISSIMAE SAXONIAE DVCI, CLEMENTISSIMAE MATRI PATRIAE, LVDOVICAE DOROTHEAE, in panegyri, finita etiam Gymnasii lustratione sollempni, demississimo pietatis cultu praestandum, tum recitationum, quibus tres ingenio excitato, atque politiori humanitate bene exulto florescentes iuuenes fauentem AVDITORVM frequentiam exoptant, argumenta indicanda. Primo nempe in medium prodibit rariori hodie poeseos Latinae facultate praestans,

BENEDICTVS CHRISTIANVS AVENARIVS, GOTHANVS,
et terrae motuum, quibus superiore anno Lufitaniae caput Olyssipo euersa, quibusque hoc ipso anno non solum eadem saepius concussa fuit, sed et multae prouinciae contremuerunt, horrenda canet, carmine Latino heroico, cui pia vota lyrico subiunget.

Hunc excipiet

IOANNES CHRISTIANVS DÖRING, GOTHANVS,
oratione Latina, in carmen votiuum desinente, de philosophiae et theologiae scholasticae origine, incrementis, et damnosae rei christianae vitiis, sua sibi sponte lecto hoc argumento, dicturus.

Denique GVILIELMVS HENRICVS IACOBS, GOTHANVS,
in poësi vernacula haud absque successu exercitatus, quae de origine, fati et sine telluris nostrae sanior theologia, duce scriptura sacra, docet, carmine Teutonico strictim comprehendet.

Huic igitur panegyri vt crastina luce hora VIII. matut. PERILLVSTRES AVLAE PROCERES, GYMNASII EPHORI VENERANDI, ET CVMVSCVQVE ORDINIS HVMANISSIMI MVSARVM IN CVLTISSIMA HAC VRBE PATRONI, FAVTORES ATQVE CVLTORES, frequentes interesse dignentur, obseruantissime enixissimeque oro atque contendo.

te, Io. Adamo Krebsio num XXII. carminibus maximam partem Latinis, vnus alterque etiam Hebraico, et Graeco, sunt profecti. Huiusmodi exempla ex eo sacculo in hisce terris occurrunt plura, in illa, quam meditor, *ἀπολογίαι καὶ φιλολογίαι ἐπὶ Θεῶν πολλῶν καὶ ζῴων*, memoranda. Inter alia obser-

uasi etiam, magnos illos viros, Frantzkiū, Seckendorfiū, quod lumen Gotha olim Ernestina toti ecclesiae euangelicae accendit, et in primis Gotterum, Superint. gener. perquam elegantia scripsisse carmina Latina, partim Florilegio illi inferenda.

ULB Halle
005 475 082

3




m





OK. 528,40

00. 11. 178.



ATAMMA
 COMMENTATIO
 DE
 VSV MULTIPLICI CONCIONVM ET MO-
 NVMENTORVM FVNEBRIVM

INVITATIONI DECENTI
 AD PANEGYRIN SOLLEMNEM
 FINITA GYMNASII LVSTRATIONE
 ET POST NATALEM AVSPICATISSIMVM
 SERENISSIMAE MATRIS PATRIAE
LVDOVICAE DOROTHEAE
 DVICIS SAXONIAE
 DOMINAE NOSTRAE CLEMENTISSIMAE
 IN ILL. GYMNASIO GOTHANO

Joan. Friderici

D. XII. AVGVSTI HORA VIII. MATVT.
 A. MDCCCLVI.
 CELEBRANDAM
 ET
 ORATIONES TRIVM IVVENVM EXIMIORVM
 BENIGNE AVDIENDAS
 PRAEMISSA
 A
I. O. HENR. STVSS
 GYMN. RECT. ET ACAD. REGIAE SCIENTIAR.
 PRVSSICAE COLLEGA.

GOTHAE LITTERIS REYHERIANIS.

